Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Dixit chayn ad abel fratrem suum. Egrediamur foras.
Cumque essent in agro consurrexit chayn adversus abel fratrem suum
et interfecit eum. Et ait dominus ad chayn. Ubi est abel frater tuus. Qui
respondit. Nescio. Numquid custos fratris mei sum. Lectio. iij.
Dixitque dominus ad chayn. Quid fecisti. Vox san
guinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ergo
maledictus eris super terram quae aperuit os suum et suscepit sangui
nem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam. non da
bit fructum suum. Erraticus et profugus eris super terram omnibus
diebus vitae tuae. Feria sexta lectio prima.
Dixit chayn ad dominum. Maior est iniquitas mea
quam ut veniam meream. Ecce eiicis me hodie a facie
tua. et a facie tua abscondar. et ero erraticus et profugus in terra. Omnis
ergo qui invenerit me occidet me. Dixitque ei dominus. Non est ita fiat.
Igitur omnis qui occiderit chayn septuplum punietur. L. ij.
Posuit dominus chayni signum ut non interficeret eum omnis
qui invenisset eum. Egressusque est chayn a facie domini et
habitavit in terra profugus ad orientalem plagam. eydem
Cognovit autem chayn uxorem suam quae concepit et pe
perit enoch. et aedificavit civitatem et vocavit nomen eius ex
nomine filii sui enoch. Lectio tertia.
Enoch genuit irad et irad genuit maviael. et mau
iael genuit matusalem. et matusael genuit lamech
Qui accepit uxores duas. nomen unae ada et nomen alte
rae sella. Genuitque ada iabel. qui fuit pater habitantium
in tentoriis atque pastor. et nomen fratris eius iubal qui
fuit pater canentium in cithara et organo. Sabbato. l. prima.
Sella genuit tubal chayn qui fuit malleator et fa
ber in cuncta opera aeris et ferri. Soror autem tubal